

quum non sint rationi conformia, *D. positive*, quasi nempe haberetur aliqua positiva oppositio mysteriorum cum ratione, *N. negative*, quasi nempe haberetur tantum negatio conformitatis cum ratione in iis, quæ sunt superioris ordinis, seu non cognoscereur conformitas mysteriorum cum rationis principiis, *C.* Hæc enim tria distinguenda, perpetuoque retinenda distinctio hæc est, scilicet 1. quædam relate ad nos cum ratione congruere; 2. quædam eidem opponi; 3. denique quædam nec cum ratione congruere, nec cum ipsa pugnare, quia sunt supra rationem, excellentioris videlicet ordinis, ad quem ratio limitibus circumscripta pertingere nequit. Sane ipse Bayle (1) principii loco constituit, multum discriminis interesse inter hæc duo, videlicet si objecti alicujus possibilitatem non comprehendas, et si ejusdem comprehendas impossibilitatem. Primum negativum est, et ad hoc referuntur mysteria; alterum est positivum; tertia vero esse mysteria nunquam evincet Bayle cum suis asseclis. Ad 2. confirm. deductam a similitudine turris eminus spectatæ, negamus ex dictis paritatem, quum sensus nisi rite applicati sint, aliter representent objectum ac re ipsa sit, quod de ratione dici non potest, dummodo ea recte utamur. Nam licet turris quadrata e longinquo visa, id exigentibus optice legibus, appareat rotunda, sensus tamen nihil præcise testatur circa ejus rotunditatem vel quamlibet aliam figuram, quum ratione distantie angulos et sinuositates non distinguant. Quare qui fidem tribuit testanti de quadrata turris figura, quum incertus de ea sit, nihilque affirmare possit, quippe quam e longinquo prospicit, vel callet hic optice leges, vel eas ignorat. Si primum, sibi repugnare non debet; si alterum, non tenetur nisi suam ignorantiam fateri eamque deponere, dum, qui propius eam intuitus est, testatur esse quadratam, quum ipse in tanta distantia cognoscere non possit, utrum revera turris sit rotunda, utrum vero quadrata. Eadem ratione gerere quisque se debet circa mysteria, quorum conformitatem cum ratione licet ipse non videat, ob auctoritatem tamen Dei testantis illa cum ratione non pugnare, id sibi persuasum habere debet, eorumque veritatem admittere.

Ad 5. *D.* Ad ingenium conficta absque ulla cum doctrina morum relatione et absque ullo fundamento, *C.* qualia in religione christiana exhibentur *N.* Recolantur superius dicta circa utilitatem mysteriorum (2).

Ad 6. *D.* Quoad eos, qui absque divina miseri ubi invicte ostendit, nullam inveniri posse repugnantiam inter mysteria, quæ humanæ rationis capacitate excedunt, atque rationem ipsam; quum idem Deus, qui est auctor rationis, sit auctor pariter revelationis, ex quo infertur quæcunque argumenta contra fidei documenta ponantur, non ex principiis primis naturæ inditis per se notis recte procedere: unde nec demonstrationis vim habent, sed vel sunt rationes probabiles vel sophisticæ, et sic ad ea solvenda locus relinquatur.

(1) *Diction. art. Spinoza.*

(2) Cons. Bergier *Diction. théol. artic. Mystères.*

sione proprio Marte religiones euderunt, *Tr.* quoad veræ religionis præcones *N.* Jam vero hic observanda est perversa agendi ratio, qua utuntur increduli, ut invidiam conflent sanctissimæ religioni nostræ, fucumque faciant incantis; scilicet veram religionem cum falsis comparant, eandemque imitando revelationes effingunt, et imperitis obtrudunt (mendacia siquidem, ut fidem inveniant, induere debent veritatis speciem); ea tamen si pertentes et excutias, continuo malitiam deprehendes, inanemque simulationem veritatis. Porro nihil quicquam commune est inventis hominum, fabulisque superstitionum cum systemate sibi ex omni parte coherente veræ religionis, in qua sic omnia inter se connexa aptaque sunt, ut unitatem summam efficiant ac in sui admirationem rapiant vel invitos. Profecto mysterium SS. Trinitatis est fundamentum mysterii dominicæ incarnationis, quod rursus supponit mysterium peccati originalis ejusque in omnes Adæ posteros propagationis, ex quibus mire elucet divinæ naturæ ejusque attributorum, omnipotentia, sapientia, bonitatis, misericordiae, justitiæ excellentia, nec non generis humani se prodit infirmitas. Hinc liquet aliud omnino esse agere de mysteriis in abstracto, ut deistæ solent, aliud ea considerare in concreto, prout a religione proponuntur.

Ad 7. *D.* Id est, perpensis credibilitatis motivis, quæ hominem ad assentiendum inducunt, *C.* id est, perpensa intima mysteriorum natura, ut alias diximus *N.* Si tamen hic Apostolus loquitur de obsequio fidei præstando, et non potius de moderata corporis afflictatione. Ad deistarum parum interest verum sensum attingere Scripturarum.

CAPUT II.

DE REVELATIONIS NECESSITATE.

Revelationis divinæ nomine, ut ex superiore cap. compertum est, hic intelligimus supernaturalem illam Dei operationem, qua peculiare homines quædam a Deo veritates edocti sunt, quibus ipsi deinde homines reliquos ad religionem et officia instituerent.

Gravissimam hanc inimus disputationem non solum adversus veteres recentioresque deistas, sed etiam adversus nuperos rationalistas, qui non aliam revelationem agnoscunt præter naturalem, sive manifestationem Dei, quæ sit per opera naturæ, quamque in universalem seu communem dividunt et in particularem. « Universalis porro » ex eorumdem sensu « ea est, quæ naturalibus animi facultatibus aliisque universæ rerum naturæ præsidiiis efficitur, quibus homo ad concipiendam colendamque rerum divinarum notitiam adducitur. Particularis vero eademque mediata (1) ea est, quæ continetur complexu rerum

(1) Hoëpfer, *De discrimine mediata et immediata Dei efficaciarum rectius intelligendæ.* Lips. 1825. pag. 21, sic rem explicat: « Qui » mediata » Dei efficaciam tuentur, ii recte discernunt inter cognitionem ejus subjectivam et objectivam. Nec igitur Deum, si objective spectatur, immediate in mundum agere negant; sed potius eum omnia, quæcunque tandem fiunt,

secundum naturam eventientium, quibus Deo auctore nonnulli homines præ ceteris excitati sunt ad veræ religionis principia cognoscenda, eaque popularium quidem desideriis accommodata insigni cum successu aliis tradenda (1).

Antequam vero ad rem propius accedimus, majoris perspicuitatis gratia animadvertimus objectum revelationis esse posse vel veritates ordinis humanæ ratione superioris; eujusmodi mysteria esse diximus, necnon ea, quæ a libera Dei voluntate pendent, quæque seposita revelatione ab homine cognosci nulla ratione possent; vel veritates, quæ rationis humanæ limitibus continentur; eujusmodi sunt ea, quæ ope ratiocinationis homo assequi absolute potest, e. g. Dei existentia, animorum immortalitas, officia quibus homo Deo, sibi, societati que obstringitur, aliaque hujusmodi.

Age porro dum divinæ revelationis necessitatem adstruimus, non hanc volumus intelligi de veritatibus primi ordinis, quum exploratum sit illarum cognitionem nobis necessariam non esse nisi hypotheticæ, quatenus nempe per earum cognitionem et fidem voluerit Deus nos adipisci salutem; quum enim hoc revelationem potius supponat, quam adstruat, ex hac parte necessitatem, quam intendimus, evincere non possumus.

Restat proinde, ut ad veritates secundi ordinis necessitatem revelationis, de qua loquimur, referamus.

Quum autem hujus secundi ordinis veritates rationis humanæ finibus concludantur, easque propterea humanæ ratio absolute cognoscere possit, plane consequitur, nos haud posse instituire controversiam de necessitate, ut dicitur, *absoluta*, sed solum de necessitate, quam vocant, *moralis*; itaque hoc sensu necessariam revelationem esse defendimus.

Ad declinandam vero innumeras prope tricas, quas movent adversarii, contra quos agimus, circa humanæ rationis vires, circa hominis dignitatem et conditionem, in quas injuriose nos agere clamant deistæ ac rationalistæ, eas deprimendo ad adstruendam nostræ revelationis necessitatem; præterea ne petere videamur principium, ut iidem rursus conquirentur, dum naturæ humanæ infirmitatem ex peccato primi parentis inductam supponimus; ad hæc, inquam, incommoda declinanda, brevior nobis pro re, de qua agimus, via visa est, quæ procedit ex facto, atque ab experimento, et quidem publico, uni-

mediate perficere affirmant. Negant vero Deum, si subjective a nobis spectatur immediate operantem a nobis cognosci seu sentiri posse. Quam pulchra hæc sunt et perspicua! Id ipsum tradit inter ceteros Baumgarten-Crusius *Pr. de notionibus mediata et immediata in disciplina theologica.* Jenæ, 1827; F. Fischer, *zur Einleitung in die Dogmatik der Evangelischen Kirche, seu introductio in theol. dogmaticam evangelicæ ecclesiæ.* Tubingæ, 1828, pag. 88 et seqq.

(1) Sic totum systema exponit Wegscheider, op. cit. proleg. 1. § 12. Unde intelligimus, quo progressus sit protestantismus in Germania quantoque studio elaboraret in omni penitus divina revelatione de medio tollenda.

versali, constanti, quodque a nemine in dubium vocari potest.

Duo enim ex historicis omnibus monumentis certa sunt, 1. universum humanum genus sibi relictum a veritatis tramite turpiter plus minus aberrasse, sive circa cultum, sive circa mores et officiorum principia; 2. nunquam populos revocari ad sana principia potuisse ex humana sapientia et industria. Jure proinde ex his inferimus, necessariam esse aliquam supernaturalem revelationem, tum ut homines dignum Deo cultum ac cetera quæ hominis propria sunt amplectantur, tum ut in officiis ejusmodi continentur. Sic igitur procedimus.

PROPOSITIO PRIMA. — *Ex eo, quod nullus populus divina revelatione destitutus dignum Deo cultum exhibuerit, atque in absurdos contra sanæ ethices principia errores delapsus non fuerit, jure inferitur divinæ supernaturalis revelationis necessitas.*

Quum in prima propositionis enuntiata parte agatur de facto omnibus comperto atque ab omnibus admissio, nemine prorsus reclamante, possemus quidem illud supponere; juverit tamen nonnulla summam attingere ex veteribus monumentis ad ejus confirmationem.

Ac primo quidem, gentes revelatione destitutas plures coluisse deos explorata res est. Astrolatria apud orientales præsertim populos, chaldaeos, persas, phœnices obtinuit (1). Fuit pariter apud antiquissimos orientales populos, seu religionis ac theologiæ ipsorum fundamentum, doctrina de duobus principis (2), quæ adhuc perseverat apud indos, et japoses. Aliqui animantia bruta, imo et virgula et cæpas, ut ægyptii (3), fere omnes vero simulacra ut deos venerati sunt. Licet autem fateamur, non omnes fortasse adeo stolidos fuisse, ut ligna et lapides tanquam deos habuerint; si tamen ingenui sumus, nec apertissimis monumentis volumus contradicere, inficiari haud possumus, vulgo velut deos ejusmodi simulacra et habita et culta fuisse (4). Græci et romani genios præterea, heroes sive vivos sive defunctos ut numina venerati sunt (5); mitto dicere de reliquis gentibus, quippe nota historia est et pervulgata apud omnes.

Exploratum pariter habemus ethnica gentes eu-

(1) Cons. *Voyages de Cyrus*, par M. de Ramsay, in 8.

(2) *Ibid.*

(3) Conf. Jos. Flav. *Contra Appionem*, l. 1, c. 9, n. 5, et l. II, c. 4.

(4) Conf. Gerdil *Saggio d'istruzione teologica, de Deo uno*; ubi refert Tyrios catenis vinxisse Herculis simulacrum, ne aufugeret; sic Guineæ incolæ hodie simulacra sibi confingere, quæ vocantur ab ipsis *Fetiches*, quibus vim tribuunt ac virtutem divinam. Omitto, quæ ex scriptura afferri possent monumenta, nec non ex Josepho Flav. Sed ad os obstruendum recentioribus incredulis, qui negant, veteres verè idola ut numina coluisse, satis est in medium proferre Horatii versus ex lib. I, sat. 8:

Olim truncus eram ficulus, inutile lignum;
Cum faber, incertus scammum faceretne Priapum,
Maluit esse Deum. Deus inde ego.

(5) S. August. *De civ. Dei* l. II, c. 15.

piditates et vitia omnia diis suis tribuisse, eosque cupiditatem omnium atque vitiorum patronos exhibuisse, uti legere est apud veteres poetas, Homerum praesertim et Virgilium.

Certum denique est cultum omnem ethnicorum, obscenas effigies (1), festa (2), sacrificia, in quibus non eruo tantum sed et ipse pudor sacrificabatur humanus (3), numinum gesta, praeterea templa (4), ritus, aliaque omnia, quae ad cultum spectabant vel referebantur, non fuisse nisi publicum perpetuumque scelerum quorumcumque et flagitiorum irritamentum; adeo ut cultum ejusmodi vere dixeris vitiorum omnium apotheosin. Non potest quin toto animo commoveatur et perhorrescat, quisquis legat, quae apud Origenem (5), Tertullianum (6), Clementem Alexandrinum (7) et Lactantium (8) de cruentis et obscenis ejusmodi superstitionibus referuntur (9).

Et haec quidem de cultu; ex quibus colligi facile potest, quid in universum gentes circa mores et senserint et fecerint. Corruptionis scholae erant ipsorum theatra atque spectacula (10); fornicatio neque inter vitia quidem recensebatur (11); praerastia passim recepta erat (12); sicut et infantum expositio, etc.; adeo ut pudeat nos tot truculenta et nefanda vel meminisse, quae tamen publico usu cohonestabantur ac ipsis legibus sanciebantur.

His itaque leviter adumbratis, turpe quippe foret in his diutius immorari, sic breviter argumentum adstringimus. Quaecumque demum sit humanae rationis vis, sive in vero ac digno Deo cultu decernendo,

(1) S. August., *De civ. Dei*, l. vii, c. 21. Conf. insuper Bern. Montfaucon, *L'antiquité expliquée et représentée en figures*, Paris, 1719, tom. i et ii.

(2) Conf. S. August. loc. cit. et alibi passim, nec non Montfaucon, op. cit. tom. ii.

(3) Conf. Dionys. Halicarnass. l. i; Plin. l. xviii, c. 1; Cleric. in annot. ad lib. i Hugonis Grotii *De verit. relig. christ.*; S. August. ep. 91, ed. maur.: « Non aves, non quadrupedes, non denique sanguis humanus, sed multo scelestius pudor humanus immolatus intereat.

(4) Haec omnia recensita pariter sunt a Grotio loc. cit. et a Clerico in suis annot. documentis comprobata tum ad lib. i tum ad lib. ii.

(5) In lib. *contra Celsum*, praesertim lib. v.

(6) In *Apolog.* c. 14 et in lib. *De idololatr.* c. i et seqq.

(7) In *cohortatione ad gentes*.

(8) *De div. instit.* lib. 1, qui inscribitur *De falsa religione*, tum passim in aliis earundem institutionum libris. Sed praeter ceteris vel inter ethnicos foveat, ut solet, ridet Lucianus in dialog. *De sacrificiis*.

(9) Conf. *Mémoires pour servir à l'histoire de la religion secrète des anciens peuples; ou Recherches historiques et critiques sur les mystères du paganisme*, par M. le baron S. Croix. Paris, 1784. 4 vol. 8. ubi clarissimo in lumine totum hoc argumentum ponit.

(10) Satis est consulere Tertul. *Apolog.* c. 15, tum orationes, quas in theatra habet s. Joan. Chrysost. Certe ipso Gibbon fatente, theatrum erat unus ex titulis, quibus poterant Romani divortium facere cum propria uxore.

(11) Epictetus, *Enchiridii*, c. 47.

(12) Aul. Gell. l. xviii, c. 2., et l. xix, c. 11; Plutarch. in opusc. *De liberis educandis*, ante fin. opp. tom. ii. Parisiis, 1624.

sive in sanae ethices principii expendendis, quam adeo et deistae et rationalistae extollunt; factum tamen est publicum, universale et constans, per plura saecula nullum populum, sive barbarum sive exultum, quamdiu revelatione destitutus fuit, tum cultum, qui Deo dignus esset, eidem exhibuisse, tum in turpissimos errores contra sanae ethices principia prolapsum non fuisse. Necessarium igitur est medium aliud supra humanam rationem positum ad homines recte instituendos sive circa cultum sive circa mores. Jam vero istud aliud esse non potest nisi supernaturale atque divinum, seu quod idem est: Ex eo quod nullus populus divina revelatione destitutus dignum Deo cultum exhibuerit, atque in absurdos contra sanae ethices principia errores delapsus non fuerit, jure infertur divina ac supernaturalis revelationis necessitas. Huic autem propositioni majus robor accedit ex demonstratione sequentis propositionis.

DIFFICULTATES.

Obj. 1. Praecipuum humanitatis attributum, quod a brutis maxime ipsa secernitur, est *perfectibilitas*; hinc licet aliquandiu a recto honestoque ipsa aberraverit, 2. concludi non potest, semper populos in eadem ignorantia atque erroribus mansuros fuisse. 3. Proximae ejusmodi mutationis indicia sub finem romanae reipublicae sunt 4. generalis polytheismi contemptus, irrisio idololatriae superstitionis in ore philosophorum admodum frequens, de quibus fidem faciunt veterum scripta, Tullii praesertim inter Latinos ac postea Luciani inter Graecos; 5. quaedam demum ad mysticismum tendentia atque ad solitudinem, de qua inter ceteros Josephus Flavius (1) late disserit. 6. Non omnes praeterea ejusmodi superstitionibus et vitiis obstringebantur; 7. plena sunt enim historica monumenta praeclearis virtutum exemplis, quibus quovis tempore viri ac mulieres floruerunt, adeo ut 8. vel ipse Augustinus Romanorum virtutes demiratus fuerit. 9. Unius summi Dei notio in hominum mentibus nunquam penitus oblitterata est, nunquam discriminis ratio inter justum et injustum, ita ut facinorosi semper poenis ac publica fuerint ignominia mulctati. 10. Frustra propterea ex generali illa populorum conditione infertur supernaturalis subsidii necessitas: quum ejusmodi medium iusitum sit in ipsa rationali hominum natura, et eas notiones, quae ad religionem pertinent, ut verbis Wegscheider (2) utamur, *soli homines quasi sanctissimum peculium sibi vindicant*; ergo.

Resp. ad 1. D. In scientiis vel artibus, quae nullam ad mores ac religionem dicunt relationem, C. in iis quae ad religionem pertinent, *subdist.* si nihil obstat ex parte cupiditatum, illecebrarum et exempli, C. positus ejusmodi obstaculis N. Nullum utique dubium est, *perfectibilitatem* attributum esse humanitatis, at in iis, quae moralem vivendi rationem non attingunt. In his enim luctuosa experientia ostendit,

(1) *Contra Appionem*, lib. ii, c. 19.

(2) Op. cit. proleg. c. 1, § 10, n. (a).

quod homo sibi relictus in plura sive speculativa sive practica errorum monstra delabatur. Non enim in abstracto homo sive humanitas spectari debet, sed in concreto, prout est malis cupiditatibus abstractus et illectus, pessimis exemplis circumventus, praedictatis opinionibus, quas ab infantia hians imbutus, publica ac universali apud suos agendi ratione quodammodo raptus. Quanta vero horum omnium vis sit, graphice more suo Tutius (1) his verbis declarat: « Nunc (natura) parvulos nobis dedit igniculos, quos celeriter malis moribus opinionibusque depravatis sic restinguimus, ut nusquam naturae lumen appareat;... simul atque editi in lucem et suscepti sumus, in omni continuo pravitate et in summa opinionum perversitate versamur, ut pene cum lacte matris errorem sussesse videamur. Quum vero parentibus redditi, deinde magistris traditi sumus, tum ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas et opinioni confirmatae natura ipsa cedat... Quum vero accedit eodem, quasi maximus quidam magister, populus atque omnis undique ad vitia consuetiens multitudo, tum plane inficimur opinionum pravitate, a naturaque desciscimus. » Ex quibus apparet, in re, de qua sermo est, hominem sibi relictum non in melius ferri sed in pejus ruere perpetuo atque dilabi.

Ad 2. N. Ut patet ex dictis: alioquin quo populus adustior fit, eo fieret perfectior magisque ad veritatem ac virtutem accederet; at experientia, monumentis historicis confirmata, contrarium ostendit; ex ea enim dignoscimus, eo puriores sive quoad cultum sive quoad mores fuisse populos, quo magis ad suam, ut ita dicam, infantiam accedunt; e contrario eo deteriores factos, quo magis ab ipsa recedunt. Si nenses profecto, quorum imperium antiquissimum est, quum neque scientiis neque artibus sint destituti, debuissent summam perfectionem attingere; attamen in suis superstitionibus ac in morum pravitate permanent, imo et deteriores sunt quam fuerunt tot retro saeculis, prout et in ceteris populis evenit.

Ad 3. N. Ejusmodi enim indicia nil aliud evincunt, nisi romanam reipublicam epicureismi praesertim vi et impulsu in proximam venisse tum religiosam tum socialem dissolutionem, servatis primævis institutis et cujusdam probitatis ac honestatis naturalis reliquiis. Ceterum multitudo nusquam adeo foede corrupta fuit, quam ubi superstitioni fuit dedita.

Ad 4. D. Ex parte epicureorum, ideoque et atheistarum practicoorum, qui maxime tunc Romae dominabantur, C. ex parte magistratum et populi N. Ejusmodi enim philosophi non solum polytheismi atque idololatriae, sed omnis prorsus religionis contemptum inducebant, quin defectui religionis quidpiam substituerent, ea ferme ratione qua aetate nostra sese gesserunt ac gerunt deistae, qui religionem christianam diruere contendunt, quin ipsi, quae humanae societatis et vinculum et columen est, quidquam substi-

(1) Tuscul. disput. lib. iii, c. 1. edit. Taur. opp. tom. xii.

tuant ad extremam perniciem averteendam. Quod vero spectat ad magistratum ac populi sensa circa polytheismum atque idololatriam, trium saeculorum odium et immanis furor adversus Christianos ea satis manifestant.

Ad 5. D. Respectu singulorum, Tr. multitudinis N. Recolantur ante dicta. Josephus porro loquitur de tali dispositione ex commercio cum judaeis, seu potius cum christianis, qui disseminari ceperant per imperium romanum.

Ad 6. D. Id est nonnulla eaque paucissima individua ab universali illa superstitione ac morum foeditate sibi temperarunt. Tr. vel D. subsidio primæ revelationis vel communicationis cum judaeis, C. per se N. Ut distinctio magis fiat perspicua, observandum in primis est, aliud esse loqui de multitudine, aliud de singulis individuis; porro quum dicimus imparem esse humanam rationem medicinae hinc malis faciendae, de populis sive multitudine disserimus, ut *ex facto* ostensum est; quod autem attinet ad individua singula humanae speciei, absolute loquendo potuissent utique ab hac universali superstitione ac morum foeditate evadere, alioquin forent excusabilia; et nonnulla quovis tempore fuerunt quae ad instar insularum natanantium integra inviolataque in mediis debacchantis licentiae fluctibus perstiterunt ad divinae providentiae justificationem; non tamen dederim homines istos singulares hoc esse consequutos vel absque subsidio primitivae revelationis, quae, ut infra invicte probabimus, ad omnes gentes pervenit, vel saltem absque communicatione cum verae religionis cultoribus. Hinc nova vis accedit stabilien-dae supernaturalis revelationis necessitati.

Ad 7. Tr. Ejusmodi enim singularia exempla non destruunt factum generale et constans, quod nos adstruximus; nec infirmant argumentum, quod inde confecimus. Recolantur modo dicta in resp. ad 6. Addimus non ex uno vel altero praeclearo facinore, sed ex complexu perpetuitateque recte factorum oriri rectam vivendi rationem. Non vacat hic, neque praestat in ejusmodi praecleara gesta, quae tantopere jactant adversarii nostri, intimius inquirere.

Ad 8. D. Respective ad alias gentes, in ipsorum infantia et quidem abstractione facta a falso deorum ac daemonum cultu, C. absolute N. Etenim S. Augustinus (1) haec scribit: « Veteres igitur primi Romani, ... quamvis ut aliae gentes, excepta una populi Judaeorum, deos falsos colerent, et non Deo victimas sed daemones immolarent, tamen laudis avidi, pecuniae liberales erant; gloriam ingentem, divitias honestas volebant; hanc ardentissime dilexerunt, pro hac et mori non dubitaverunt; ceteras cupiditates hujus unius ingenti cupiditate presserunt. » En, quo sensu commendat et sub quali restrictione; igitur factum a nobis statutum confirmat. Ceterum quid senserit Augustinus de Ro-

(1) *De civ. Dei*, lib. v, c. 12.

manorum moribus primi ejus libri *de civ. Dei* aperte declarant.

Ad 9. *D.* Ita tamen, ut eas innumeris prope superstitionis deorum cultibus et erroribus homines fœdaverint ac fere soffocaverint, C. germanas et sinceritas conservarunt *N.* ut patet ex dictis. Damus utique nunquam penitus obliteratum illud, ut Tertullianus (1) vocat, *testimonium animæ naturaliter christianæ*; at incredibile dictu est, quot absurdis commentis ethnici ideam istam depravaverint, quod nemo certe in dubium vocabit. Idipsum dicatur de generalibus notionibus animæ insitis de justo et injusto, de virtute ac turpitudine, quas notionem in applicatione atque in praxi ex generali illa ac publica morum perversitate pessime distorserant atque corruerant, quidquid tandem de singularibus casibus senserint.

Ad 10. *D.* Si rem in abstracto spectemus, *Tr.* si in concreto, ita ut absque ullo externo ac supernaturali subsidio homines sive populi officia ejusmodi et cognoscant et præsentent *N.* Theoriæ omnes ac ratiocinationes factum universale et constans non destruunt; porro factum contrarium evincit, quidquid sit de nativa rationis vi et efficacia, de qua hic non inquirimus. Hinc præoccupata sunt, quæcumque deistæ ac rationalistæ congerunt, videlicet ex nomine legis *naturalis*, quæ sic a *natura* dicitur, tum quia paucissimis ac simplicissimis veritatibus concluditur ac continetur, tum quia indita a Deo est humanæ naturæ, tum postremo quia invincibilis non est talis aberratio, aliæque id genus ingeniose excogitata, quæ nulla ratione attingunt factum a nobis propositum, quodque inficiari adversarii non possunt, nisi velint omnia historica monumenta convellere.

PROPOSITIO II. — *Ex eo quod nulla humana sapientia aut industria populos revelatione destitutos revocare valuerit ab universali illa defectione sive circa cultum sive circa mores, jure rursus infertur divinæ ac supernaturalis revelationis necessitas.*

Rursum et in hac propositione factum adstruunt extra omnem dubitationis aleam positum.

Licet enim omnes Ægypti sacerdotes sive sapientes, Indorum gymnosophistæ, Persarum magi, græci ac romani philosophi sapientiæ studuerint, scholas atque academias instituerint, sectas informaverint, et quidem per longum annorum et sæculorum tractum; certum tamen est, ipsos impares omnino fuisse populis ad veri numinis cultum ac veritatis cognitionem adducendis, idque ex triplici ipsi inhaerente defectu. Ex defectu nempe *unitatis*, ex defectu *auctoritatis*, ex defectu *sanctionis*.

Ac primo quidem ex defectu *unitatis*; quum semper non solum scholæ, sectæ et academiæ, sed et philosophi singuli a se invicem discreparint in tradendis religionis ac morum institutionibus. Quod enim schola una, academia aut secta probabat ab aliis impugnabatur, nec raro discipuli in magistros insurgentibus, adeo ut omnes philosophiæ epochæ in

(1) *Apolog.* c. 17.

scepticismum delaberentur (1) ob unitatis ac consensus defectum; impares proinde se reddebant ad propria placita populis suadenda.

Ex defectu insuper *auctoritatis*; auctoritas enim ista non erat *personalis*, ut patet, cum nulla potestate in populos pollerent, non *doctrinalis*, siquidem ad summum doctrina in sui admirationem populos rapuisset, non vero ad relinquenda cupiditatum oblectamenta, quibus nimis abducebantur, induxisset. Non *realis*, non quævis alia, qua semper destituti fuerunt. Accedit nimia eorum facilitas in sese accommodando populorum superstitionibus, sive ad eorum ac magistratum vindictam et pœnas declinandas, sive ad propria commoda tuenda, adeo ut tanquam in dogma erexerint principium de *accommodatione* (2). Quare vel ipse Socrates, qui vulgo perhibetur monothœismi martyr, teste Xenophonte (3), ejus biographo et apologeta, passim patriis diis immolabat.

Ex defectu demum *sanctionis*; cum nulla ipsi auctoritate sua vel præmia vel pœnas præceptorum suorum observatoribus vel transgressoribus proponere potuerint, atque irridere, quæ poëtæ de elysiis vel stygiis sedibus cecinerunt (4). Jam vero quid ja-

(1) Cons. *Histoire comparée des systèmes de philosophie considérée relativement aux principes des connaissances humaines*, par M. Gérando; in qua auctor quinque philosophiæ epochas distinguit, quarum 1. incipit a Thaletæ et desinit in Protagoram, qui suis sophismatibus dubium circa omnia movet. Altera exordium habet a Socrate, qui cepit impugnare scepticismum, deinceps a Pyrrhone instauratum. Postea Epicurus venit cum suis principiis physicis moralitatis; tum sequitur Zeno cum suo fato, quem sequuntur Arcesilaus et Carneades, qui finem imponunt huic epochæ. 3. Epochæ complectitur vicissitudines philosophiæ quæ Romæ et Alexandria obtinuit usque ad sæc. vi, quo omne philosophiæ studium barbarie superveniente extinguitur. 4. Comprehendit totum illum temporis lapsum qui a sæculo vi ad xvi tenditur. 5. Initium ducit a tribus summis reformatoribus, Baconem in Angliâ, Cartesio in Galliis, Leibnitzio in Germania ac ad Kantium usque pertingit, qui Baconem, Cartesium ac Leibnitzium immutat, statuitque philosophiam *experimenti*, et ad hanc appellat auctor. Ast nonne rectius post tot sæcula ab hac ad *experimentum philosophiæ* posset appellari? Ecce non simul utraque conjungitur, religio nempe ac philosophia, prout in sua origine conjunctæ erant? *Nous la reverrons*, inquit cl. Comes J. De Maistre, *la superbe alliance de la religion et de la science; ils reviendront ces beaux jours du monde, où toute science remontait à sa source.* Traduct. du traité de Plutarque intitulé: *Des délais de la justice divine.*

(2) Erat enim commune apud ipsos receptum effatum: *Expedire falli in religione civitates.* Quare August. etiam ex hac parte veteres arguit philosophos, *De civ. l. vii, c. 10.*, ubi de Seneca scribit: *Colebat, quod reprehendebat; agebat, quod arguebat; quod culpabat, adorabat.* Sic etiam Epictetus, *Ench. c. 38.* principii loco statuebat: *Libere autem et sacrificare et primitias offerre secundum patrios mores unumquemque docet.* Σπένδον δὲ καὶ θύειν καὶ ἀπαρχεῖσθαι κατὰ τὰ πάτρια, ἐλευθέρως προσήκει.

(3) Xenoph. *De factis et dictis Socratis memorati dignis*, l. 1, c. 1.

(4) Apposite J. J. Rousseau in *Emile* l. iii. p. 187.

* Voir le premier vol. de notre édition des *Oeuvres* du comte J. De Maistre. 1811. Prix: 3 fr. le vol. II.

vant eloquentissimi quique tractatus de virtutibus ac vitis ad populos absque certa sanctione vel ad virtutem adducendos vel retrahendos a vitis?

Dixi vero *ex triplici defectu ipsi inherente*, non solum ut rationem redderem facti propositi, verum etiam, ut innumerem adversus nostros deistas ac rationalistas, nec ipsos triplici hoc defectu laborantes aut nunc esse aut unquam pares fore, seposita revelatione divina ac supernaturali, ad hoc idem præstandum, quod veteres philosophi minime præstare valuerunt (1).

Iis igitur sic constitutis ita perstringimus argumentum: res facti indubia est, humanam sapientiam et industriam non valuisse populos revelatione destitutos revocare ab illa generali defectione sive circa cultum sive circa mores, nec potuisse, etsi enixe id voluissent, nec posse, etsi vehementer vellet, ex triplici propositio defectu; ergo necessarium est ad hoc præstandum subsidium aliquod extra humanam conditionem positum, quod triplicem nuper expositam conditionem præferat. Atqui tale subsidium esse non potest nisi divina supernaturalis revelatio, quæ sola principium in se continet tum unitatis, tum summæ auctoritatis atque efficacissimæ sanctionis; ergo ex eo quod nulla humana sapientia ac industria populos revelatione destitutos revocare valuerit ab universali illa defectione sive circa cultum sive circa mores, jure rursus infertur divinæ ac supernaturalis revelationis necessitas.

DIFFICULTATES.

Obj. cum Ammon et Wegscheider: 1. *Rationem*, quatenus suprema ejus virtus dignoscitur in *ideis* concipiendis, quæque ipsa recte dicitur *idea*, homini a Deo datam esse facultatem, non exultam, sed assidue excolendam constat, ejusque aciem adjuvantibus tantum rebus fastissimis, a Dei providentia repetendis, ita curari posse, ut ne obscureretur errorum tenebris. Quapropter 2. distinguendum est inter rationem in *abstracto* et in *concreto*, ut dicitur, cogi-

ta philosophum alloquitur: « Frustra virtutem statuere ac confirmare unius rationis ope conaris: nam quo unquam fundamento illam poteris sustentare? Præclaræ quidem sunt tuæ de moribus leges, sed earum cedo, quæso, sanctionem! Age, quid æterno inferorum igni suffectum vis? »

(1) Sic graphice describit idem J. J. Rousseau deistas seu philosophos: « Philosophos, » inquit, « consului, eorum libros pervolvi, ac varias opiniones expendi; agnovi omnes animorum plenos affirmantes audacter, etiam in rebus dubiis ex tripode judicantes, qui scire se omnia possent, extricent nihil, sese invicem irrideant; quod quidem commune omnibus id mihi visum est, in quo minime hallucinentur. Elati et quasi ovantes, quum alios petunt; quum ipsi petuntur, fracti et abjecti; si eorum argumenta explorares, nulla plane invenies nisi ad evertendum aliquid comparata; si suffragia recenseas, id quisque fert, quod sibi quisque tribuit: nulla quidem in re nisi in contendendo sibi invicem cohærent; cum ipsi uni veritatis lumine illustrati, candidi, fide digni videri volunt, tum nos jubent quodammodo ipsorum dicto acquiescere, et putida atque absurda commenta pro veris ac certis principiis obtrudunt. » *Emile*, tom. III, p. 21.

tatam. 3. Neque vero dubitari potest, quin in rebus gravissimis, quæ ad religionem et honestatem tuendam pertinent, itemque in præceptis artis logicæ omnes fere philosophorum scholæ mirifice inter se conveniant; et 4. inter ipsos scriptores, quos profanos dicimus, et quos *injuste aversantur atque calumniantur tenebrarum patroni*, haud paucos esse constat, qui præclaras de religione ac virtute sententias, Jesu Christi decretis ac præceptis haud absimiles in medium protulerint. 5. Contra inter eos ipsos, qui eandem revelationem sequi se professi sunt, magna opinionum diversitas obtinuit; 6. nec illa revelationis auctoritas impedire potuit, quominus ejus assectæ ad superstitionem erroresque alios non modo ineptos sed etiam perniciosos delaberentur. 7. Quod si vero Deo placuisset, omnes omnibus temporibus idem prorsus sentire de rebus divinis, ita ut ipsa forma et involucra idearum ad religionem pertinentium omnibus eadem essent, certe sapientissimis præsidis id effecturus fuisset. Ergo. Ita citati auctores. (1).

Resp. generatim *D.* Et hæc respiciunt meram ab ipsis excogitatum possibilitatem, C. destruunt factum a nobis constitutum *N.* Ejusmodi enim theoriæ non sunt nisi imaginariæ, et ab existentia revelationis illius originem ducunt, quam per summam injuriam ipsi impugnant, ut inferius ostendemus; sed nullo modo attingunt argumenta, quæ ex facto deducuntur. Quid enim effecerunt veteres philosophi ad populorum illustrationem? Quid efficiunt deistarum ac recentiorum rationalistarum conatus, nisi corruptionem populorum, et juventutis sibi commissæ?

Resp. singillatim; ad 1. *N.* Experientia enim contrarium evincit, ut ex dictis patet, quæcumque demum vis in ratione supponatur. Non agitur de eo, quod *possit*, sed de eo, quod *fecerit*.

Ad 2. *D.* Et supposita qualicumque distinctione ob vitium eidem inhærens impar semper est humana ratio effectui obtinendo, quem adversarii prætentunt, C. secus *trans*.

Ad 3. *N.* Quam enim mirifice philosophorum scholæ inter se conveniant, si sermo sit de recentioribus, vidimus ex J. J. Rousseau, et patet ex perpetuo rationalistarum conflictu et pugna, quæ in Germaniæ scholis adhuc viget, et ex eorum libris. Si sermo sit de antiquioribus, patet ex historia philosophiæ ejusque diversis sectis stoicorum, epicureorum, pyrrhonistarum, cynicorum, etc. (2). Quid porro commuæ habeant artis logicæ præcepta cum gravissimis rebus, quæ ad religionem et honestatem pertinent, non video.

Ad 4. *D.* Præclaras de religione sententias absque fundamento, absque conjunctione et fine, et qui-

(1) Ammon, *Der rechte Standpunkt*, Lips. 1822, p. 19. Wegscheider, op. cit. prol. c. 1, § II, n. (a).

(2) Cf. Plutarch. *De placitis Philosophorum*, præsertim l. iv. opp. fol. ed. Paris. 1624. tom. II. Itaque mirifice scholæ philosophorum inter se conveniunt solum in dissentiendo. Philosophorum item clamores, acres disputationes, dissensiones graphice describit Lucianus in dialogo: *Bis accusatus*, c. II et seqq.